

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

Schema “De divina revelatione”

Intervento di Mons. Giocondo M. Grotti

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN III
PERIODUS TERTIA

PARS III
CONGREGATIONES GENERALES XC-XCV



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXIV

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Unum tantum, in hac re tanti momenti, scire vellem, scil.: « ad quid reducitur activitas Spiritus Sancti in Ecclesia? »...

Video enim, et non sine admiratione, tendentiam, ut itali dicunt, « a fossilizzare il Verbum Dei » negando traditioni sensum et valorem. Audivi etiam, hodie, in aula, em.mum card. Bea plus minusve dicentem: schema placet quia in ipso invenimus tantummodo quae nos et separati fratres in commune habemus! At, separati fratres sunt, si multa et gratis concedere volumus, fructus speculationis, illustrante Spiritu (?), saec. XVI; post hanc aetatem non amplius progressus est Spiritus?... Si ad fontes primaevas debemus attingere, attingamus ad priora saecula; si vero datur actio Spiritus per saecula, uti reapse datur, qua de ratione sistere debemus in saec. XVI et fere haurire doctrinam a reformatoibus?...

Et quod mirum est:

1. Pluribus in schematibus laudatur actio Spiritus Sancti in Ecclesia, semper praesens et efficax; sed ad quid reducitur haec actio?... Nam, amplius non videtur docere ex schemate nostro, et ex schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* nec agere, efficaciter saltem, amplius videtur! (cf. prooemium, ad n. 2).

2. In schema *de Ecclesia* laudatur et extollitur, iure meritoque, sensus fidelium; at, a fortiori, non esset laudanda et extollenda traditio et praesertim magisterium quod est veluti medulla ipsius traditionis?...

3. Ius iniuriatur (« reazione contro il diritto ») quia vitam interimit (« fossilizzazione della vita nella fissazione delle strutture »); et qua ratione, huc, et Verbum Dei interimitur (« fossilizzazione del Magistero »)?... Fortasse et Spiritus Sanctus, uti multi hodierni debiles spiritu, morbo terribili afficitur cui nomen defatigatio (« esaurimento »)?...

4. Ad quid reducitur actio Magistrorum et Pontificum in Ecclesia?... Ad repetitionem illorum quae continentur in Scriptura?... Et tirones ad hoc inserviunt, non indigemus ad hoc magistris et prophetis! (cf. schema *de Ecclesia*, cap. de Hierarchia et de laicis nam et de ipsis dictum est quod participant in sacerdotio... prophetico Christi!).

5. In Concilio Hierosolymitano, certe invenimus relationem ad S. Scripturam, tamen conclusio oboedit novae lineae non scriptae (« nuova impostazione, nuovo schema »): « visum est Spiritui Sancto et nobis »; est actio in praesenti, non in praeterito. Decisiones sumuntur non simpliciter ex iis quae scripto inveniuntur, sed ex iis quae videntur (actio praesens) Spiritui et Hierarchiae legitimae constitutae et operanti.

6. Iesus tandem, cum dicit « euntes in mundum universum, praedicate Evangelium » non ad evangelium scriptum sed orale se refert!

Conclusio. Meliori in luce ponatur traditio et clare dicatur quid de ea sentiat Ecclesia catholica; quid vero sentiant separati fratres addi potest, per modum appendicis, sub fine, non ut regula a catholicis sequenda, sed ut subsidium certum ad incertum oecumenismum!

Ad cap. I: De ipsa revelatione.

N. 2, pag. 5, lin. 16. Bona latinitas postulatne ut ponatur « in »? Nonne bonum esset scribere: « Placuit Dei sapientiae et bonitati... » vel quid simile?

Item, pag. 5, lin. 24. Inter « tamquam » et « amicos » poni posset « filios » ac legi: « Tamquam filios et amicos ».

Item, pag. 6, lin. 2. Fortasse dictio esset emendanda, nam ita legitur: « ... Deus invisibilis (= Pater) ... ad societatem cum Patre et Filio et Spiritu Sancto invitet... ». Non enim bene scribitur Patrem invitare ad societatem cum Patre. Dicatur « secum », vel alio meliori modo.

Item, pag. 6, lin. 4. Loco « gestis » nonne melius diceretur « factis »?

Item, pag. 6, linn. 16-18. Fortasse clarius exprimi posset idea exhibita per verba « in ipsa rerum natura perenne sui testimonium... ostendit ».

N. 4, pag. 6, lin. 36. « Per quem omnia facta sunt ». Similia dicta sunt supra, in n. 3, eadem pagina, linn. 16-17.

Item, pag. 6, lin. 39. Licet in contextu expresse dicatur Filium Dei esse Deum per quem facta sunt omnia, tamen non admodum bene sonat illa dictio: « Homo ad homines ». At transeat.

Animadversio generalis ad universum cap. I:

a) Nimis parum de Vetere Testamento sermo est et nimis cito de Domino nostro Iesu Christo disseritur, ideoque in perspicuo non ponitur revelationis progressus.

b) In universo capite plures numerantur repetitiones quae textum aggravant et claritati obsunt.

c) Praesens caput, sicut et ceteroquin totum schema, deberet iterum accurate perpolititioni subici sub bonae latinitatis respectu.

Ad cap. II: De divinae revelationis transmissione.

N. 7, pag. 15, linn. 1-32. In hoc capite et numero initiali, scil. 7, de divinae revelationis transmissione *in genere* sermo est. Cur ergo non etiam de transmissione in Veteri Testamento, sed tantum in novo et quidem de solo Evangelio disseritur?

Verum est Evangelii nomine venire posse totum « bonum nuntium »; at non hoc solo sensu vox « evangelium » in schemate sumitur (cf. cap. V).

N. 8, pag. 16, linn. 1-28. Per totum numerum iterum nullimode de Veteri Testamento, at de Novo et quidem de solo Evangelio sermo est, cum de sacra traditione disseritur. Hoc iterum factum est ex industria vel oblivione?

Item, pag. 16, linn. 17-19. Illa ad parabolam de fermento appellatio non videtur certe ad rem, et ansam praebet, aut praebere potest, falsis quibusdam de dogmatum progressu interpretationibus.

N. 9, pag. 16-17. Sicut nn. 7 et 8, nihil de Veteri Testamento dicitur, et solum de Novi Testamenti traditione et Scriptura sermo est.

Item, pag. 16, linn. 33-34. Adhuc legitur: « in unum *quodammodo* coalescunt ». Cur illud « quodammodo », cum postea (n. 10, pag. 17, linn. 5-6) sine restrictione dicatur: « Unum verbi Dei sacrum depositum constituunt »?

Item, pag. 16, lin. 40 - pag. 17, lin. 2. Verba illa tridentina, sicut fuerunt vaga tunc in suo contextu, ita et satis vaga manent nunc in praesenti contextu. At transeat!

N. 10, pag. 17, linn. 14-26. Ita aptandus esset, ut in perspicuo ponantur ea quae sequuntur: Christus depositum revelatum tradidit *Ecclesiae* sponsae (ideoque matri et *magistrae*) fideliter (sancte) custodiendum et fideliter (infallibiliter) interpretandum.

Si cum Pio IX (DENZ. novus, 3020, 3070) et Pio XII (*Munificentissimus*) tenemus Christum tradidisse revelationem seu depositum « *Ecclesiae* », non potest ad solos Romanos Pontifices vel ad Concilium Oecumenicum restringi munus custodiendi et interpretandi.

Tota (capita scil. simul et membra) ergo *Ecclesia* ob Christum caput et unionem ad ipsum, et ob eius Spiritum qui ipsam infallibiliter illustrat et dirigit sive ad revelationis depositum custodiendum, sive « ad revelatarum perficiendam veritatum cognitionem », utrumque hoc munus praestat.

E. g.: quando tota *Ecclesia* (antistites, senes cum iunioribus, iuvenes et virgines) canit antiphonam « *Salve Regina* » vel aliud correspondens orientale canticum, ostendit se credere excellentiam (regalitatem) illius cui Deus fecit « magna », et custodit illam veritatem, et *interpretatur* *Mariae* magnitudinem.

Tota *Ecclesia*, sponsa ideoque mater et *magistra*, hoc praestat. Sed praeter et *supra* hoc magisterium *Ecclesiae universim* sumptae, est magisterium *Capitis Supremi, solius vel cum Collegio capitum*, quod magisterium, peculiari, scil. personali (Papae) vel collegiali, potiorique Spiritus Sancti lumine, adspiratione et adsistentia, per specialia documenta, maiori vel maxima auctoritate, ac pressius uberiusve doctrinam revelatam sancte custodiendam mandat, infallibiliterque interpretatur, tamquam *os* Dei simul et *Ecclesiae* universalis, *universim* sumptae, quae est sponsa, mater ac *magistra*, cum at sub Deo.

Haec vel his similia aut meliora, essent innuenda in n. 10, ne confusio hanc circa rem perduret et crescat.

Item, pag. 17, linn. 19-26. Quis posset animadvertere quod non omnia quae Magisterium proponit sunt « tradita divinitus » ac proposita « tamquam divinitus revelata credenda ». Quid dicendum... de decreto florentino pro Armenis, ubi de ordinis materia et forma, etc.?

Ad cap. III: De Sacrae Scripturae divina inspiratione et interpretatione.

N. 11, pag. 27, lin. 3. Repetitur Sacram Scripturam fuisse conscriptam « divino afflante Spiritu », sicut pag. 16, lin. 36. Et hoc quoque in loco,

scil. pag. 27, lin. 3, supponitur distinctio illuc adducta, quod scil. sacra traditio fuerit Spiritu Sancto assistente transmissa.

At quaero: sacra traditio, Spiritu Sancto assistente « transmissa », fuitne “ *primitus collata* ” Spiritu Sancto afflante? Illa ergo distinctio inter afflatum pro Biblia et assistentiam pro traditione estne certa? Etiam Biblia servatur Spiritu Sancto « assistente »!

Item, pag. 27, linn. 18 et 21. « Retineri debeat » et « confitendi sunt ». Ita ergo res se habent, vel solummodo ita retinendum est et confitendum quod se habeant? Nonne loquendum est sine ambiguitatis fuco?

Item, pag. 28, linn. 21-22. « Significationem ». Huius vocis loco ponatur, ut terminus technicus et e compluribus documentis biblicis et conciliaribus depromptus, « sensum ».

N. 12, pag. 28, linn. 21-32. Multa essent animadvertenda, sed ad ea remitto quae praecedentibus Concilii sessionibus exhibuit episcopus Vielmo et egomet praelatus Grotti. Nam quae hic dicuntur nec perspicua sunt, nec completa, nec bono ordine digesta.

Etenim fortasse, ut in praedictis animadversionibus dicitur, in exegesi praestanda, quidam circularis motus servandus est:

a) Quis debet revera et profunde vivere in Ecclesia *catholica* (quae non est una ex Ecclesiis, sed omnium apex et culmen et plenitudo!) et vivere de spiritu Christi totiusque Ecclesiae, qui est Spiritus Sanctus, Auctor Bibliae, Theologus Theologorum, eoque illustrari ac moveri.

b) Insuper exegeta debet ad magisterii Ecclesiae documenta attendere, fidei aut filiali obsequio, *iuxta cuiusque documentum pondus*: et quidem ad magisterii documenta quae Bibliam universim respiciunt, et, in particulari, ad documenta quae peculiarem Sacrae Scripturae librum aut locum attinent.

c) Debet insuper semper ad vivam Ecclesiae traditionem attendere: nam si praedicta documenta sunt magisterium « Capitis » Ecclesiae, scil. Romani Pontificis solius vel cum episcoporum collegio, haec viva Ecclesiae traditio est magisterium Ecclesiae *universim* sumptae, scil. prout *indiscriminatim* antistites fidelesque, simul credentes, *conspirantes*, custodientes, profitentes exhibet; sicut ad bene interpretanda Ordinis Carthusiani regulas, necesse est: 1. vivere in Cartusia et de Cartusiae spiritu, 2. subesse Regulae, 3. attendere ad traditionem in ea viventem, et tandem 4. ipsum Cartusianae Regulae textum scientificè seu critice spectare, attendendo ad textus locosque parallelos vel similes, et ad peculiare genus litterarium quo conscripta est. Hic ergo:

d) Exegeta debet post haec omnia, ad ipsum accedere textum, considerans illum, scil. Bibliam, universim; attendens ad libros locosque similes; ac tandem etiam ad litterarium genus: ne fiat quod, genere litterario a priori vel e sententia praeiudicata statuto, omnia vel multa sub eius intelligantur luce, forsitan errata.

e) Et, post tot labores, circularem motum veluti complens, exegeta

debebit omnes elucubrationes interpretationesque suas Ecclesiae magisterio, scil. Capitis Supremi solius vel cum collegio sententiae, iterum submittere, vel actu vel saltem animi praeparatione, eique fidei vel filiali obsequio parere, prout res exegerit.

Non bene ergo, ne sufficienter dicitur: « ultime subsunt » (cf. pag. 44, lin. 28, bene: « sub Ecclesiae ductu »).

N. 13, pag. 28, linn. 40-41. Numquid Verbum nobis factum est simile « quoad omnia »? Numquid blasphemabat atque inhonesta peragebat? Bene reintroduceretur « absque peccato », nam ea quae lin. 34 dicuntur, non evidenter referri debent etiam ad allatum exemplum.

Ad cap. IV: De Vetere Testamento.

N. 14, pag. 33, linn. 4-5. Cur, post « elegit », dicitur « concreditaе sunt » (a quo?) et non « concredidit »?

Item, pag. 33, linn. 18-19. « Divino afflante Spiritu ». Haec formula decies forsitan in schemate legitur. Numquid non adest alia similis, quae identidem adhiberi possit?!

N. 15, pag. 34, lin. 4. « Provisorius » estne bonae latinitatis vox?

Ad cap. V: De Novo Testamento.

N. 18, pag. 37, lin. 22. Cum etiam Evangelia Deum habeant auctorem et Spiritu Sancto inspirante fuerint conscripta, cur non dicitur: « Quatuor Evangelia originem *divinam* et apostolicam habere etc.?! Modus dicendi schematis, econtra, ansam praebet interpretationi quod Evangelia non ascendant, quoad facta et doctrinam, ad Christum, sed ad apostolos vel apostolorum aevum.

Numquid hoc Ecclesia semper tenuit et tenet?!

Ad cap. VI: De Sacra Scriptura in vita Ecclesiae.

N. 21, pag. 43. Iterum reapparet quaedam confusio inter Evangelium et totam Bibliam, quae advertebatur capp. I-II, non autem cap. V.

N. 22, pag. 44, lin. 15. Adderem: « Praelaudatis venerabilibus versionibus semper ante oculos habitis »; vel: « praelaudatarum venerabilium versionum semper quoque ratione habita ».

N. 24, pag. 44-45. In initio de verbo Dei « scripto et *tradito* » sermo est; statim vero (pag. 45, lin. 5 et deinceps) de verbo tradito non amplius disseritur, sed sola divina Scriptura. Cur hoc? (Adverte: vox « verbum » quater paucis lineis repetitur; et bis vox « autem »).

N. 25, pag. 45, linn. 29-30. Sermo est de ignorantia Scripturarum et Christi in contextu ubi de religiosis agitur. Advertendum tamen apud religiosos studium Verbi Dei semper satis floruisse et florere, licet et ipsi edere progressum debeant. Cum de clericis autem disseritur, de hac ignorantia non fit sermo.